



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Dissoluuntur argumenta quædam contra doctrinam capitis præcedentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

litia esse nequit, quia voluntas creata peccati etiam possibilis, & nunquam exituri malitiam odisse tenetur, cum tamen creatoris voluntatem odio prosequi minime teneatur.

Tertio: quia si possibilitas creaturae, quā à Deo produci potest, & potentia creatoris, quā creare, & producere potens est, sunt relationes omnino indistinctae: inde quidem fiet, omnipotentiam Dei semetipsam posse producere, & creaturam à semetipsa posse produci, ut nobis argumentari moris est. Quarto: quia si possibilitas creaturae, quae nec absolute, nec sub conditione futura est, in omnipotentia Dei eius creaturae productiva consistit: pari ratione futuritio conditionata creaturae, quae absolute futura non est, in aliquo etiam praedicato Dei collocanda est, id quod plures aduersarii fatentur: Consequens autem falsum est, quia futuritio conditionata consistere nequit in decreto Dei conditionato, quo statuit, ut in hac rerum peristasi aliquid determinate eueniat: alias nostra libertas corrueret, Deusque author peccati esset: nec etiam ea futuritio conditionata in mediā Dei scientia consistere potest, quia ideo per eam Deus cognoscit euentus conditionate futuros, quia futuri sunt, & non e conuerso, ut Patribus solenne est: at ea causalis falsa esset, si scientia Dei res conditionate futuras denominaret; ideo enim res futurae sunt, quia datur forma, quae futurae denominentur; ea autem forma, iuxta aduersarios, scientia Dei est. Deinde scientia media, seu conditionata alioqui esset formaliter libera, cum eius existentiam nihil nisi intellectus Dei ad eam vel oppositam omnino indifferens praeceperet: si quid enim posset illam ut existentem praecedere, maxime euentus ut conditionate futurus: huiusmodi autem futuritio conditionata & obiectiua, iuxta aduersarios, non distinguitur à scientia per quam cognoscitur: quomodo ergo potest illam anteuertere? Consequens autem est aperte falsum: solius enim voluntatis actus possunt esse formaliter liberi: at scientia media diuini intellectus, non voluntatis actus est, nequit ergo libertate immediata & formali gaudere.

6. Communis etiam ratio mihi non displicet, quam in hunc modum propono: chimæra ab æterno repugnat repugnantia sibi intrinseca, & essentiali, quæque à quouis praedicato diuino distinguitur: ergo similiter creatura possibilis est ab æterno possibilitate sibi intrinseca, & essentiali, quæque ab omnipotentia Dei distincta sit. Negant nonnulli consequentiam, eo quod ex possibilitate rebus extrinsecā, & necessariā, ac æternā sequatur distinctio essentiae ab existentia, existentia aliqua æterna, quid creatum, & finitum à se, & alia id genus repugnantia, quæ inferius subiiciuntur: at ex repugnantia chimæra à Deo distincta, & adhuc æterna, ac necessaria eiusmodi inconuenientia minime sequuntur: videlicet quia repugnantia chimæra est mera negatio possibilitatis; negationem autem, aut carentiam æternam esse non inconuenit, ut comperitum est. Hæc solutio manifestè refellitur, quia homo equus, siue identitas homini, & equi per se ipsam repugnat, & impossibilis est: at ea identitas praedicatum positium, esto chimæricum est: ergo repugnantia chimæra positium, aut quasi positium est, quamuis nominibus negationem exprimentibus significetur. Confirmatur, & decla-

ratur: sicut possibilitati entis opponitur repugnantia chimæra, ita veritati opponitur falsitas: at falsitas tam positium, quam veritas est, esto per negationem explicetur: ergo repugnantia Chimæra tam positium est, quam possibilitas entis: minor suadetur de veritate, & falsitate transcendentali: quia aurichalcum, seu falsum aurum non minus positium est, quam verum aurum, cuius figuram, & speciem exhibet: de veritate, & falsitate formali eadem minor non minus certa est: quia actus falsus duo concernit, nimirum representationem obiecti, quæ haud dubie positium est, & obiectum non ita se habere, sicut representatur, quod etiam sæpenumero positium quid est, ut si actus affirmet, obiectum non existere, ubi sola existentia positium obiecti efficit, ut non se habeat obiectum, sicut per actum representatur.

Confirmatur iterum: quia ut possibilitas opponitur repugnantiae, & impossibilitati chimærae, & non entis, ita bonitas malitiae: at malitia saltem Physica, quidquid sit de morali, non minus positium, quam bonitas est: ergo, &c. Minor suadetur: nam calor per suam entitatem positium aquæ malus, & disconueniens est, sicut eidem frigiditas per se ipsam bona, & consentanea est: igitur bonitas, & malitia Physica ex æquo positium sunt. Quod si malitia aliqua Physica in negatione consistat, qualis est ea, quæ res non existit absolute, certe & bonitas aliqua in negatione sita est, qualis est ea, quæ malum quoddam positium non existit; quæ non minus expetibilis est, quam absoluta malitia odibilis est. Perperam ergo recentiores hi inter possibilitatem, & repugnantiam distinguunt, ut illam in positio, & hanc eius negationem statuunt, cum non minus una, quam altera positium esse debeat, ut ex earum attributis, aut quasi attributis, veritate, & falsitate, & malitia liquet.

Alij respondent, negato antecedenti, & aiunt diuinam omnipotentiam esse repugnantiam chimærae, & ab æterno nihil esse à praedicatis quidditatis Dei distinctum, per quod chimæra repugnet: contra tamen, quia Deus, quantum ex se est, potens est producere chimæram, si ipsa non repugnet: ergo non est essentialiter, siue de se impotens: aut si mauis, non potens eam producere: igitur eam repugnantem non denominat; ut enim ei repugnantiam in genere causæ quasi formalis tribuat, de se absolute non potens eam producere, esse debet: haud secus ac, iuxta aduersarios, ut omnipotentia Dei creaturis possibilitatem tribuat, eas producere absolute potens, de se, siue essentialiter esse debet. Consequentia omnes perspicuae sunt. Antecedens suaderetur: quia eius oppositum ab infinitate, & perfectione diuinæ virtutis magnoperè abhorret.

CAPVT II.

Dissoluuntur argumenta quadam contra Doctrinam capituli precedentis.

Non pauci Recentiores nobis refragantur. Primo: quia si possibilitas creaturarum non consisteret in omnipotentia Dei, sed esset praedicatum aliquod ab eā distinctum, sanè & essentia ab existentia distingueretur: at hæc distinctio admitti

admitti non potest: ergo nec quod possibilitas creaturarum distinguatur à creatore. Minor ostenditur in Metaphysicâ. Maior probatur: quia possibilitas est prædicatum essentiale, & necessarium creaturæ: ens enim (quod prædicatum primum, & essentiale negari nequit) in possibilitate, siue aptitudine ad esse consistit: sed possibilitas ab existentia distingueretur iuxta nostram sententiam superius positam; siquidem creaturæ ab æterno possibiles, non vero existentes sunt: iuxta illud 1. Gen. *in principio creauit cælum & terram*: haud ergo possumus euitare, quin essentia, siue prædicatum aliquod essentiale distinguatur ab existentia, & è conuerso. Respondeo: essentia dupliciter accipi potest: scilicet aut pro essentia actuali, & simpliciter tali, aut pro essentia potentiali, siue aptitudinali, & secundum quid. Essentia in priori acceptione ab existentia realiter indistincta est, neque oppositum ratio facta conuincit: siquidem possibilitas, quæ est prædicatum necessarium, & quodammodo essentiale ab essentia actuali distinguitur, estque tantum essentia potentialis. Essentia in posteriori acceptione ab existentia realiter distinguitur: & id argumentum factum conuincit, nosque vltre fatemur, ac suo loco confirmabimus amplius.

Arguunt secundò aduersarij: si possibilitas aliqua rebus intrinseca, & ab omnipotentia Dei distincta ab æterno daretur, sequeretur aliquid à Deo distinctum ab æterno exiturum. Consequens est absurdum, & fidei repugnans: sequela probatur, quia possibilitas à Deo distincta, quæ creaturæ ab æterno possibiles sunt, est prædicatum aliquod positium æternum: at prædicatum omne positium est existentia: ergo existentia aliqua æterna præter Deum admittenda est. Minor suadet: quia conceptus existentie vt sic non consistit in eo, quod res producatur, cum natura diuina existat, quamuis improducta sit: igitur in eo situs est, quod prædicatum aliquod positium sit. Respondeo tamen negatâ sequelâ, & eius probatione: quia conceptus existentie vt sic à prædicato positio vt cumque sumpto multifariam distinguitur: nam primò dici potest, existentiam esse prædicatum positium secundum, & cui virtus aliqua actiua, aut passiuæ annexa sit, vt perspicue docet Dionysius de diuinis nominibus: at possibilitas rei nondum existentis omni virtute tam actiua, quam passiuâ destituta est: quod enim neuiquam est, neuiquam agere, aut pati potest. Secundò dici potest, existentiam in communi esse prædicatum positium, seu productum, aut saltem inseparabiliter identificatum cum alio, quod productum sit: nec assignari poterit existentia, cui hic conceptus accommodari nequeat: nam existentia nature diuinæ cum relatione realiter producta identificatur; & relatio Patris, esto improducta sit, mediâtè tamen identificatur cum relatione filij, & spiratione passiuæ, quæ realiter producuntur: ac possibilitas nec producitur, nec inseparabilem connexionem, vel identitatem mediâtam, immediatamve cum prædicato producto sibi vendicat: quia vel non identificatur realiter cum existentia, quæ realiter producitur; vel certè ab ea separabilis est, vt omnibus compertum est. Tertio dici potest prædicatum positium, cuius munus primarium, & vnicum sit præstare, vt aliud esse, siue existere possit, cum existentia minime coincidere: possibilitas autem huiusmodi

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

prædicatum positium est.

Arguunt tertio: si creaturæ nunquam extitura foret possibilis, & apta nata existere, per denominationem extrinsecam à possibilitate illa distincta, atque æterna, quam superius adstruximus, sanè & posset dici ens per denominationem extrinsecam ab eadem possibilitate: cum ens aliud non sit, nec aliter definiatur, quam quod habet aptitudinem ad esse, vt ex communi Doctorum sensu tradit P. Suarez tom. I. Metaphys. disp. I. Consequens autem absurdum est, vt quod maximè; cum ens sit prædicatum essentiale, quidditatum, & transcendens, ac proinde non extrinsecus, sed intrinsecus adueniens. Respondeo, primò per instantiam, quia quæuis res per denominationem extrinsecam à causa proxima est potens esse: an ergo est ens per denominationem extrinsecam? Secundò absolute respondeo, creaturam esse ens potentiale, & secundum quid per denominationem extrinsecam; atque in hoc nullum esse inconueniens.

Quartò, & difficilius arguunt. Si daretur possibilitas aliqua distincta realiter ab omnipotentia Dei; ea esset à se, & non esset à se, sed à Deo. Consequens est absurdum, & impossibile: ergo &c. Sequela probatur quoad posteriorem partem. Primò, quia si possibilitas illa esset à se, & non à Deo, deficiente Deo adhuc maneret: at deficiente Deo omnes creaturæ impossibiles essent, nimirum quia à Deo essentialiter pendent, ac proinde earum possibilitas non maneret: signum igitur est, illam non esse à se, sed à Deo. Secundò, quia possibilitas illa est prædicatum aliquod creatum, & finitum, vt pote creaturæ quodammodo essentiale, & à creatore distinctum: atqui nullum prædicatum finitum, & creaturæ proprium, à Deo distinctum potest esse à se, cum in solum Deum conueniat esse ens à se: possibilitas ergo de qua disputamus, à se esse non sustinet. Rursus eadem sequela quoad priorem eius partem suadet. Primò, quia possibilitas illa à nobis adstructa nequit non esse æterna, cum creaturæ ab æterno possibiles sint: nihil autem à Deo est, quod sit ab æterno; omniæque ab eo facta, atque originem ducentia temporis sunt communia: possibilitas igitur illa nequit esse à Deo, ac subinde à se esse debet. Secundò, quia omne, quod summè necessariò existit, siue est, & nec de potentia absoluta nequit non esse, eo ipso est à se: cur enim Deus est à se, nisi quia est ens summè necessarium? Sed possibilitas creaturarum est summè, & in ordine ad potentiam Dei absolutam necessaria: haud ergo poterit non esse à se. Tertio, quia sequeretur omnipotentiam Dei connecti essentialiter cum creaturis possibilibus, quod tamen à nobis non admittitur, nec potest, vt patebit infra. Sequi, quod dictum est, constat: nam possibilitas creaturarum à Deo distincta, si ab eo est, & non à se, certè non erit ab eo liberè, cum sit summè necessaria: ergo erit ab illo vt principio necessariò, & antecederet connexionem: omnipotentia ergo Dei non potest non se ipsa connecti cum possibilitate creaturarum à se distincta, si forte huiusmodi possibilitas non est à se, sed à Deo. Quartò: repugnantia chimæræ haud est à Deo, sed à se: ergo & creaturarum non repugnantia, ac possibilitas erit à se, & non à Deo. Consequentia videtur optima. Probatur ante-

N cedens

cedens: quia si repugnantia chimæra esset essentialiter à Deo, sanè casu, quo deficeret Deus, & deficeret repugnantia chimæra: at deficiente per impossibile Deo non deficeret repugnantia chimæra: ergo, &c. Minor hæc perspicua est: quoniam si Deus deficeret, nulla creatura esset possibilis, cum possibilitas cuiuscumque sit per ordinem essentialem ad causam primam, à qua effectus, qui dicitur possibilis, possit produci: tum autem nulla esset causa prima, vt supponitur: omnes igitur creaturæ impossibiles essent, ac repugnantes in eo euentu: igitur deficiente Deo repugnantia chimæra non deficeret, sed potius maneret. Quintò, & quidem ex fundamento opposito ei quod proximè supra positum est: possibilitas creaturarum maneret deficiente Deo: est ergo à se, & non à Deo. Id ostenditur: namque possibilitas creaturarum est aptitudo conditionata, vt producantur à causa prima, vel secunda, si hæ dentur, vel sint possibiles: ergo non existente alterutra nec possibili, maneret tamen illa, dareturque sicut modò. Sic, quia consensus conditionatus est existentia consensus sub conditione, quod detur auxilium; certè absque huius absoluta existentia dari potest.

13. Respondeo primò, non esse impossibile, quod multi dicunt, possibilitatem creaturarum non esse à Deo, sed quodammodo à se. Namque in primis id videtur manifeste tueri, ac docere Angelicus præceptor 1. part. quæst. 25. art. 3. corp. ibi: *dicatur autem aliquid possibile, vel impossibile absolute ex habitudine terminorum.* Et ad 4. addit: *ad quantum dicendum, quod possibile absolute non dicitur nec secundum causas inferiores, sed secundum se ipsum.* Quibus verbis possibilitatem, & impossibilitatem à se ipsis, & non à Deo, aliæ causæ esse perspicuè tradit. Consentit Scotus in 1. distinct. 43. quæst. vnic. vbi docet, rerum possibilitatem, & impossibilitatem esse ex sola habitudine terminorum, & non à Deo, tametsi in esse intelligibili, seu cognito sint à Deo, quod doctrinæ præsentis resolutionis contrarium non est, & nihil aliud est, quàm eas à Deo æternum cognosci eâ cognitione, quæ illum absolute productuum earum denominet. Adde tantorum Doctorum auctoritati rationem non contemnendam: namque earentiam hominis verbi gratia non multum euehit, imò nihil, quod ab æterno sit quodammodo, quod item aliquâ ratione, & secundum quid sit vbique: nimirum quia planè nihil est, adeoque cuiusvis perfectionis propriè sumptæ omnino incapax. Similiter ergo earentiam repugantiæ, seu possibilitatem, quæ simpliciter aliquid non est, magisque est posse esse, quàm esse, parum, aut nihil extollet, quod sit à se quodammodo.

14. Ad priorem autem rationem contrariam dicendum est, possibilitatem creaturarum respicere Deum essentialiter, non fortasse vt principium à quo sit, sed vt principium à quo rerum creaturarum existentia oriatur: est enim aptitudo, vt creaturæ à Deo existant, & producantur: vnde ob hunc respectum essentialem deficiente Deo deficeret, quamuis sit à se: ad modum, quo, in opposita sententia, deficientibus creaturis deficeret Deus, tametsi à se, & non à

creaturis sit, videlicet quia eas essentialiter respicit. Explicatur: possibilitas respicit essentialiter existentiam finitam, quam possibilem denominat: hæc respicit Deum, in cuius infinita, & illimitata virtute continetur, & à quo potest produci; igitur de primo ad vltimum, vt aiunt, possibilitas, licet sit à se non à Deo, adhuc Deum essentialiter respicit, ac per consequens eo deficiente deforet. Ad posteriorem rationem contrariam dicendum est, possibilitatem creaturarum provt condistinctam à quouis alio non habere propriè, & strictè esse, sed duntaxat posse esse; & germanum illius conceptum hunc esse, & non alium: quare esto à se sit, non ob id prædicatum aliquod creaturæ proprium, atque finitum erit propriè à se. Declaratur: ens à se est, quod potest existere à se, siue non ab alio: at possibilitas, quantumvis à se quodammodo sit, tamen nequit existere siue reduci ad actum, & existentiam à se, & absque influxu causæ primæ; quippe à qua eius existentia pendet essentialiter: quæ cum ita sint, certè ex possibilitate creaturarum, sicut à nobis explicata est, minimè sit, rationem entis à se strictè sumpti Deo cum creaturis esse communem.

15. Respondeo secundò, & quidem planius, ac probabilius, possibilitatem creaturarum esse à Deo: tum ob dicta in argumento contrario, quæ etsi solutionem habeant, semper tamen verisimilia sunt, præsertim id, quod obiciebatur ex finitate possibilitatis illius à Deo distinctæ, de qua disputamus. Secundò, quia vti carentia existentia cuiusvis, quantula quantula est, nequit non esse suo modulo à Deo: ita id ipsum videtur dicendum de carentia repugantiæ, seu possibilitate creaturæ. Tertiò, quia Deus est prior logicè, & in subsistendi consequentia, quàm possibilitas creaturæ: at hoc ipso, quod ita sit prior, quàm illa, debet etiam esse prior illà veluti physicè, ac respectu illius rationem principij, & radicis cuiusdam sortiri: ergo, &c. Maior constat: nam hæc consequentia valet: *Possibilitas, seu non repugnantia creatura datur, & existit Deus*: cum enim creatura non sit possibilis, seu non repugnans existere à se, sed potius tota eius non repugnantia sit in eo, quod possit quantum est ex se existere, & causari à Deo: sane Deum existere optimè infertur ex eo quod detur creaturæ possibilitas, ac non repugnantia: adque ab hac ad illud prius valet, vt dictum est, consequentia. Sed sic est, quod è conuerso non valet: *Deus existit; ergo creaturæ possibilitas, & non repugnantia re vera datur*: videlicet ob independentiam Dei, eiusque perfectionem absolutam ab omni respectu ad aliquid extra se, à nobis inferius probandâ, atque explicandam. Ex quibus manifestè patet, Deum esse logicè priorem sub possibilitate creaturæ: sicut animal est prius logicè, & in subsistendi consequentia, quàm homo: quia, iuxta omnes, valet hæc consequentia; *est homo: ergo animal*: non autem hæc; *est animal, ergo homo*. Porro autem principalis minor probationis nostra facile suadet: ob id enim animal, vt exemplo posito insistantur, est prius logicè, non verò physicè, quàm homo, eumque antecedit in subsistendi consequentia, non verò vt principium aut causa

causa, seu veluti causa physica, quia nec distinguitur realiter ab homine, nec etiam est perfectius homine, sed potius duplo minorem homine perfectionem exprimit: quod autem est alterius principium physicum debet ab eo realiter distingui; debet item eo esse perfectius; si sit principium adequatum, & principale, de quo potissime in presenti loquimur. Atqui Deus à possibilitate creaturæ distinguitur realiter; estque item ea infinite magis perfectus: ut igitur est ea logicè prior, cur non etiam illam physicè antevertat, illiusque sit veluti principium, & radix?

16.

Præterea ostenditur concedendum esse ut longe verius, quod possibilitas creaturarum sit non à se, sed à Deo, tanquam à radice ac veluti principio quodam. Siquidem eiusmodi possibilitas dependet à Deo: non autem à posteriori: ergo à priori: quidpiam autem ab alio dependere à priori est esse ab illo tanquam à principio, & ad illud re vera consequi: possibilitas ergo creaturarum est à Deo quasi à principio, & non à se ipsa. Primum, & præcipuum antecedens probatur: quia possibilitas creaturarum sine Deo esse nequit, eoque repugnante omnes repugnarent, quæ est earum omnium respectu illius essentialis subordinatio: connectitur ergo prædicta possibilitas cum existentia Dei: ab ea ergo dependet: connexio enim est dependentia; eaque ratione defendemus inferius, futurum ut Deus dependeret à creaturis possibilibus, si cum earum possibilitate connecteretur, ordinemue ad eas haberet transcendentem. Aliter etiam suadetur idem antecedens principale: quoniam Deus sine creaturis possibilibus esse potest, ut constabit infra: è conuerso autem possibilitas creaturarum sine Deo esse non potest: quare à creaturis possibilibus ad Deum consequentia valet, non tamen à Deo ad illas: at hæc connexio non mutua consequentiam etiam non mutuam nec reciprocam fundans, cum dependentia vnius extremi ab alio à se distincto, videlicet connexi ab inconnexo dependentia semper coheret, ut paulò superius constitutum est, utque expressè docetur ab Aristotele in Postprædicamentis: possibilitas igitur creaturarum nequit non à Deo dependere. Dicent fortasse aduersarij, eam quidem à Deo dependere, non tamen ut à principio, sed ut à conditione, sine qua non esset à se: unde illam, non obstante dependentia sua à Deo, eaque à priori, posse tamen esse à se. Sed contra facit in primis, quod conditio habet rationem principij, ac veluti causæ, ut tract. præcedente cap. 3. ostendi: ergo si possibilitas creaturarum dependet à Deo ut à conditione; & ab eo dependebit, ut à principio, & quasi causa. Adice, conditionem anteriorem esse debere talem respectu alicuius causæ, quam ad operandum applicet, ac moueat, ut perspicuum est ex dictis loco proximè memorato: at ante possibilitatem creaturarum non est aliud principium, quod à Deo moueatur, aut determinetur ad eam dandam, ac pro posteriori inferendam: eius ergo possibilitatis intuitu nequit Deus esse mera conditio, sed debet esse principium: ut ut permittamus conditionem non habere ex genere suo rationem ullam principij, aut causæ.

17.

Itaque ad primam rationem aduersus doctrinam hanc, quam ut veriolem amplexi sumus, di-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

cendum est, quod obicitur, nihil esse posse à Deo, quod ab eo in tempore non sit, illud intelligi debere de esse simpliciter, & propriè tali, cuiusmodi est esse rerum earum, quæ vere existunt; non de esse secundum quid, & alieno siue improprio, quale est esse carentiarum, & similium: esse autem possibilitatis est secundum quid tale, nec nisi improprium, & alienum: ac proinde absurdum non est, quod eiusmodi possibilitas ante tempora sit à Deo sicut ab eo carentiæ ab æterno suo modulo proficiunt. Ad secundam rationem contrariam dicendum est, aliquid esse, dummodo non sit existentielle, & proprium, sed duntaxat secundum quid & improprie tale esse posse tamen non à se, sed à Deo: totum autem esse possibilitatis adumbratum est, atque improprium, nec simpliciter, sed secundum quid tale: quid mirum ergo est, si, quantumvis sit omnino necessarium, haud tamen esse debeat, vel possit à se, sed à Deo? Sic hoc complexum, homo, vel carentia hominis, est summe necessarium: nec enim fieri etiam diuinitus potest, ut vel non detur homo, vel carentia hominis: siue autem hæc detur, siue illa, & eo ipso dabitur homo, vel carentia hominis: & tamen huiusmodi complexum indeterminatum, ac vagum est non à se, sed à Deo, cum certo certius sit, esse à Deo alterutram eius partem. Ad tertiam rationem contrariam constabit ex dicendis infra cap. 6.

18.

Ad quartam rationem contrariam dicendum est, eius antecedens, quo adstruitur, repugnantiam chimæ esse à se, & non à Deo, esse falsum. Probatio autem negati antecedentis non vrget: casu enim, quo Deus deficeret, sequeretur, repugnantiam chimæ eo ipso defuturam simul, & non defuturam: proinde hypothesis, ex qua arguitur, est omnino inutilis: quid enim inutilius ad argumentandum, quam id hypothesis, ex qua efficitur vtrumlibet? Sequeretur ergo, in euentu illo non defuturam repugnantiam chimæ; ob rationem in argumento propositam; videlicet quia omnis creatura tum esset impossibilis, & chimærica. Deinde & fieret, in eodem euentu defuturam repugnantiam illam chimæ: siquidem deficeret Deus, à quo, ut dictum est, essentialiter pendet: nec non etiam, quia omne ens chimæricum, & repugnans est ens rationis: at casu, quo deficeret Deus, nullum esset ens rationis: ergo nec chimærica vlla, aut repugnantia, siue impossibilitas: tum nullum futurum ens rationis patet: namque ens rationis, ut demonstrabo in Metaphysica haud aliud est, quam extrema realia per actum falsum intellectus inter se combinata, & fictè applicata: verbi gratia homo equus consistit in essentia vera, & reali hominis, & essentia equi, atque cognitione, per quam altera de altera falso enunciatur; siue vi cuius identitas vera aliorum conceptuum prædictis conceptibus obiectiuis, extremisque fictè applicatur: atqui deficiente Deo nulla essent extrema realia, nullusque intellectus actus, qui posset ea intentionaliter identificare, atque componere, non obstante eorum reali distinctione: ergo nec esset tum ens rationis vllum.

19.

At enim insurges contra hanc nostram solutionem: quia tacite videtur concedere, quod negat: siquidem deficere, & non deficere repugnantiam chimæ est noua repugnantia: sed deficiente Deo, hoc quod est deficere, & non deficere

N 2 cere

cere repugnantiam chimæræ daretur: igitur hæc noua repugnantia præcisè daretur. Explicatur: duplex est chimæra, & repugnantia: alia directæ, quæ circa creaturam aliquam versatur, & eius prædicata cum eorum contradictoriis miscet, & implicat: alia reflexa, quæ circa priorem repugnantiam versatur, & eam cum sua carentia simul componit; nec in alio consistit, quàm in eo, quod directæ repugnantia simul detur, & non detur: at nostra solutio directam repugnantiam eo in euentu defuturam, & non defuturam, seu, quod perinde est, futuram, & non futuram contendit: igitur reflexam repugnantiam in euentu illo præcisè futuram concedimus. Verùm ne hæc instantia premit: namque reflexa illa, & noua repugnantia etiam maneret deficiente Deo, & simul non maneret: & rursus hæc secunda reflexio chimærica, & repugnans maneret, ac non maneret, casu, quod deficeret Deus: & sic de tertia reflexione chimærica, siue chimæra reflexa: & ita in infinitum; quin vnquam sistere sit in vlla, de qua verum esse possit, quod præcisè maneret deficiente Deo, & non potius quod simul maneret, & non maneret. Nec verò mirum est, quod deficiente Deo sequeretur per locum intrinsecum defuturam ac non defuturam cuiusvis chimære siue directæ, siue reflexæ repugnantiam: etenim si fingamus, ac supponamus, Deum deficere, sequeretur per locum intrinsecum, quod plus est, etiam ipsum Deum se deficiente simul defuturum, & non defuturum quidem, vt supponitur: non defuturum; quatenus deficeret creatura, quæ defectum creatoris sui fingeret, ac suo actu constitueret.

20. Ad quintam, ac postremam rationem contrariam dicendum est, possibilitatem creaturarum defuturam necessariò, si deficeret Deus, ac proinde esse à Deo. Quod deficeret deficiente Deo est communis Scholasticorum ferè omnium sententia, quam ex professo defendit P. Ouiedo contr. 10. Metaphyl. punct. 5. Probatur autem primò: quia possibilitas creaturarum, à causis earum distincta, est aptitudo in iis, vt existant, producanturque, non conditionata tantum, sed absoluta: atqui creaturas esse posibles, aptasue existere, non conditionatè, aut si sint posibles earum causæ, sed absolutè, connectitur essentialiter cum causarum, ac præsertim primæ possibilitate: possibilitas ergo creaturarum connectitur essentialiter cum possibilitate causæ primæ: cum ergo idem sit, causam primam, Deumve esse possibilem, ac actu existentem, propter eius summam perfectionem; sanè creaturarum possibilitas connectitur cum existentia Dei, hacque deficiente deficeret. Quod possibilitas creaturarum haud sit aptitudo conditionata tantum sed absoluta, vt dixi, ostenditur: siquidem in effectu omni creato absolutè à Deo producto est non tantum existentia conditionata, sed etiam absoluta: & hæc existentia absoluta, non minus quàm conditionata, distinguitur ab existentia Dei; pari ergo ratione possibilitas creaturarum erit non tantum conditionata, sed absoluta: & quæ absoluta est, distinguetur omnino à possibilitate, & existentia causæ primæ, ac secundarum etiam: ergo saltem hæc possibilitas creaturarum est à Deo: adeoque aliqua non est à se, cum tamen aduersarij omnem esse à se adstruant. Deinde, quod etiam possibilitas illa merè conditionata, quam ponunt ij, qui-

buscum disputamus deficeret deficiente Deo, suadetur: quia quidquid est, eo modo quo est, à Deo absolutè dependere potest, & debet: nimirum ab eo tanquam à causa simpliciter tali, si habuerit simpliciter esse, & causalitatis strictæ non fuerit incapax, aut velut à causa, siue principio secundum quid, si habuerit esse secundum quid tantum, & causalitatis propriæ, strictæque capax minimè fuerit: oppositumque huius Deo dedecus esset, & euis excellentiæ non parum derogaret: possibilitas igitur illa conditionata, de qua sermo, absolutè independens à Deo non est, ac proinde eo deficiente deficeret. Quod vltius etiam probatur, quoniam ea possibilitas conditionata non conditionate tantum, sed absolutè cognoscibilis est, idque essentialiter & necessariò: tum quia eo modo, quo est, vera est: tum quia sicut quod non est, non scitur, ita quod quodam modo est, scibile, seu cognoscibile est: at cognoscibile absolutè, vt cognoscibile, intellectum Dei mediatur, aut immediatè respicit: ergo ea possibilitas cum intellectu Dei, ac proinde cum Deo absolutè connexa est: & sic deficiente Deo non potest non deficere. Itaque ferendi non sunt Basilii Legionensis in quodlib. quæst. 6. scholast. cap. 5. & relect. 5. alii que Recentiores apud P. Ouiedo vbi supra, eam creaturarum comminiscences possibilitatem, quæ omnino maneret, nullatenusque deficeret deficiente per impossibile Deo. Verius enim est, vt demonstrari, defuturam omnem possibilitatem creaturarum deficiente Deo: quamquam & id negandum non est, simul non defuturam possibilitatem creaturarum eo in euentu: siquidem in illo deficeret repugnantia chimære, vt visum est supra, chimæras autem non repugnare, est eas esse creaturas posibles, hasque ex consequenti manere: rursus in eodem euentu simul maneret repugnantia chimære, iuxta superius dicta: eiusmodi autem repugnantia possibilitatem creaturarum complectitur, & ex eâ fictè considerata coalescit: possibilitas ergo creaturarum deficiente Deo ita deficeret, vt simul non deficeret, sed quodammodo maneret.

21. Quod autem deficiente Deo ea maneret hoc pacto, scilicet imperfectè, & simul deficiente, nequit arguere illam de facto esse à se, & non à Deo: sed potius, vt sponte sua manifestum est, ad eius illationis bonitatem opus erat, vt casu, quo deficeret Deus, omnino & perfectè maneret possibilitas creaturarum, nec ex aliâ parte simul deficeret: idemque dicendum est de repugnantia chimære, scilicet non à se, sed à Deo esse, quantumvis deficiente Deo maneret simul deficiente. Porro autem dictis hæcenus haud obstat exemplum quintæ rationis contrariæ, in qua dissoluen-do versamur; nempe consensus conditionati, qui, eo ipso quod talis sit, existere potest absque existentia absoluta auxilij, cuius sub conditione dicitur futurus: tum quia hinc ad summum fit, possibilitatem conditionatam creaturarum non defuturam deficiente Deo; non vero quod tali euentu non deficeret possibilitas earum absoluta: tum etiam quia possibilitas conditionata creaturarum, licet earum existentias denominet pendentes à Deo conditionatè, tamen ipsa non conditionatè, sed absolute pendet à Deo, velut à primo ente pendens, inquam, secundum quid: quæ ratio non procedit in consensu conditionato relatè ad auxilium supernaturale sumpto.

CAPVT